

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Marchionum Badensium & Hachbergensium - Cod. Karlsruhe 3293 II 10

Gamans, Johannes

St. Peter auf dem Schwarzwald, 1758

Cap. XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-267058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-267058)

De Fratribus Hermannii IV. Friderico Ba-
densi et Henrico Hochbergensi Mar-
chione.

Friderici Marchionis mentionem fieri, testemq; no-
minari in Cæsareis literis de annis 1207. 1210,
1211. 1216. auctor est Joannes Pistorius.

Henricum, ait idem, in divisione cum fratre Her-
manno IV. factum dictumq; epe marchionem in Hochberg,
post mortem vero Berchtoldi V. Ducis Zeringensis Land-
graviatum Orisgoria a Friderico II. Imp. obtinuisse,
ad hoc nominari testem in literis Herrenalbenfibus
datis an. 1230. anno vero proxime sequente decessisse,
filiis relictis Rudolpho et Hermanno; dicit alicubi
beata memoria Marchionem Henricum, haud dubie
ob virtutes non vulgares, quibus in vita resplenduit.

In manuscripto quodam Germanico hac invenio:
anno 1291. Starb in der Landvogtei in dem Elo-
stern Gmündens Marggraf Gernung von Gersburg,
walsen der Hünegau bürgerlich Elostern abliefs Göl-
den und gaffill zu Müstung in sanigum eturbt ga-
sturbat fat.

Meminit idem MS. Originis castri Hochbergici, quod
circa an. Ch. 800. regnante Carolo M. ab Heröe quo-
dam Hackone conditum mons Hackonis vulgo Hochberg
appellatum, et posterius ejusdem famosi Hackonis Mar-
chiones Hackburgenses dicti sunt, de quibus non nisi
sparsim aliquid in Annalibus et veterum Scriptis

inveniatur, ut quod an. 952. ludis equestribus
interfuerit Rosenburgi ad Tuberam Wilhelmus, Co-
lonia vero anno 1174. Fridericus, et Norimberga
an. 1197. nec non Wornatia 1209. Wernerus, Marchio-
nes Hackbergenses &c. Haec quoque memorat Lätius,
et ex illo Henninges. Sit fides penes Authores.

Equidem existimo affinitatem nominum Hochenberg
et Hochberg multis erroribus ansam praebuisse, et
sepe inter se confundi, subinde etiam imperite sub-
stitui Marchionis titulum pro titulo Comitum; Ho-
chenbergiorum autem comitum familia perantiqua
et celebris fuit a castro, quod in Hercynia haud pro-
cul Rotvila imperiali oppido situm est, sic appellati,
etiam antequam vel Badensis vel Hochbergensis Mar-
chionis titulo quoquam uteretur.

Non omittam interim recitare ex MS. cui perperam
fides a Lätio aliisque habita est, quo de his tradat,
antequam ad Henricum Hochbergensem marchionem
quem author ille non primo sed quarto loco ponit
perueniatur. Sit is, Wernhero Hermannii I. Veronen-
sis et Badensis filio, cui pater in portionem heredi-
tatis Hochbergam apignaverit, titulum adhaesisse
marchionis de Hochberg, eius ex Bechtilda Rudolphi
Comitis Zollerani filia natum Wernherum II. mar-
chionem in Hochberg et caeteris mortuus eodem anno
quo pater, nempe 1172. Wernhero autem II. ex Ag-
nete Henrici Fürstenbergij filia unicam filiam

q et Ernestum, qui
Friedrich filius Baro de
Hochberg

natam Ursulam comiti de Sarbrück in matrimonium
elocatum, itaque Wernhero huic juniori =

An. 1158. defuncto successisse patrum Rudolphum,
Hermanni I. Badensis minimum natu filium, qui
post mortem nepotis titulum Marchionis Hochbergensis
adsumpsit, ex conjugē Nassovia filium quidem nactus
Rudolphum juniorem, sed prematura morte extinctum;
atque hinc Rudolpho isti etiam ad an. 1170. demortuo
successisse demum Henricum, Hermanni s. ut vult ipse:
II. filium, et Alberti Badensis nepotem, pronepot' vero
Henrici I. ex Sutha, Bertholdi IV. Ducis Zeringia filia
genitum, qui Henricus decedens an. 1197. reliquerit ex
Agnete Habsburgia Rudolphum et Burchardum. De hoc
Rudolpho s. qui jam quartus foret: nulla ulterior
mentio, Burchardum vero Marchionem de Hochberg ait,
annis XV. a morte patris regimen obtinuisse, et ta-
men subdit postea, eum factis concessisse an. 1198. id est,
sexto post patrem anno, susceptis ex conjugē Lotka-
ringia Ducissa liberis Friderico marchione de Hoch-
berg et Burchardo Barone de Hochberg, ac filia nupta
Marquardo Comiti Habsburgio. Num istis concordent,
que de Habsburgia, Lotharingia, Zeringia, Follernaa,
Fürstenbergia familia a probatissimis scriptoribus
traduntur, discutendum relinquo iis, quibus plus
otij est.